

Ordo Cisterciensis

De Familiaribus Ordinis

*In: Acta Curiae Generalis Ordinis Cisterciensis Nova Series - Num.1 1953
(pag. 16-19)*

Quoad Institutum Familiarium S. Ordinis nostri sequens schema a Capitulo Generali approbatur:

Historia Instituti

S. Ordo Cisterciensis inde ab antiquo consuevit concedere participationem bonorum spiritualium fidelibus in saeculo viventibus:

- a) Personis benemeritis, quas vult honorare;
- b) Benefactoribus Ordinis;
- c) Illis qui in saeculo secundum spiritum et principia Ordinis, pro statu suo, vivere desiderant.

Item in Monasteriis Ordinis omni tempore admissi sunt ad participationem bonorum spiritualium et temporalium viri vel mulieres, ut oblati vel donati vel familiares qui, aut viventes in sinu Communitatis monasticae e ad chorum vel ad conversos admittuntur, aut extra Communitatem in domo adiacenti viventes Monasterio inserviunt.

I. Notiones

- 1) Oblati vel Familiares regulares habeantur qui, supposito consensu Capituli vel saltem Consilii Monasterii, et insuper, ubi agitur de Monasteriis Monialium, Patris Immediati, sive ad chorum sive ad conversos admittuntur, et post annum saltem probationis, vota privata ad nutum Abbatis valitura et renovanda proferant (*Capitulum Generale decrevit familiares saeculares proferre debere vota simplicia ad nutum Abbatis valitura, dummodo Sacra Congregatio Religiosorum tali praxi consentiat. Iamvero Sacra Congregatio Religiosorum manifestavit ista vota debere esse privata. Unde quaestio in hoc posteriori sensu resoluta est, sicut in textu*). Ubi habitum religiosum gestant, distinguatur ab habitu professorum.
- 2) Ut aliqua persona, cuiuscumque sexus vel conditionis sit, ut Familiaris saecularis Ordini aggregari possit, requiritur et sufficit:
 - a) Ex parte illius persona, ut relationes nutriat personales cum Ordine vel cum aliquo Ordinis nostri Monasterio, eisque quocumque modo auxilium praestet;
 - b) Ex parte Ordinis, ut ista persona per declarationem competente auctoritate (Art. 5) emissam inter Familiares Ordinis suscipiatur et participatio bonorum saltem spiritualium ei concedatur.
- 3) Proinde Familiarium saecularium nomine hic veniunt:
 - a) Qui admittuntur ab Abbatе vel Abbatissa ad participationem bonorum spiritualium et temporalium, absque votis publicis et sine habitu religioso in Monasterio extra clausuram habitant, et renuntiantes mercedи Monasterio inserviunt;

- b) Qui desiderantes formare vitam ad mentem Regulae S. P. N. Benedicti, iuxta spiritum Cisterciensem, ab auctoritate competente (Art. 5) Familiaribus Ordinis accensentur; hi tales, ubi ad exemplum oblatorum saecularium S. Benedicti oblationem vel professionem istis concessam fecerint, oblati quoque vocari possunt;
- c) Personae in dignitatibus constitutae quibus propter merita acquisita et ad amicum foedus cum eis ineundum participatio bonorum spiritualium et nomen «confratris» conceditur;
- d) Personae quae Monasterium in expediendis negotiis saecularibus peculiari modo adiuvant et ideo familiae eius affiliari merentur.
- 4) Familiarium nomine non veniunt eae personae utriusque sexus quae Monasterio vel Ordini quidem beneficia praestant, quin tamen ligamine personali cum familia Monasterii vel Ordinis iungantur. Item confraternitatum vel societatum membra quae contactum amicitiae cum Ordine vel Monasterio aliquo non nutriunt, familiarium nomine honorandi non sunt. Attamen aliqua in bonis spiritualibus participatio bene determinanda eis ultro concedi potest. De istis benefactoribus vel sociis hic sermo amplius non est.

Reguntur statutis specialibus Monasterii quod huiusmodi fraternitatem promovet. Ubi vero in aliqua tali persona conditiones praerequisitae (Art. 2, litt. a) verificantur, ut Familiaris a Iegitimo Superiore renuntietur.

II. Aggregatio

- 5) Iure aggregandi Ordini Familiares saeculares (Art. 3) pollent Capitulum Generale, Definitorium Generale, Abbas Generalis et Superiores Monasteriorum sui iuris.

6) Aggregatio Familiarium fit declaratione in scriptis per diploma vel documentum, et inscriptione nominis eorum in tabulis. Receptio fieri potest cum ritu in Rituali descripto aut traditione numismatis vel huiusmodi, aut impositione scapularis albi, aut oblatione vel promissione, iuxta consuetudines Monasteriorum.

III. Relationes Familiarium, cum Ordine

7) Familiares pertinent vinculo morali ad ipsum Ordinem, quin Associationem fidelium forment.

8) Familiares affiliati alicui Monasterio, ut veri Familiares Ordinis in omnibus Monasteriis considerandi et honorandi sunt.

IV. Relationes Familiarium cum Monasterio

9) Cum Familiares ad familiam Monasterii pertineant, ipsum Monasterium pro eis est centrum. Institutum Familiarium non debet praebere monachis occasionem exeundi, sed potius attrahere ad Monasterium non quidem saeculum, sed saeculares, ut inde beneficos impulsus haurire queant.

10) Familiares igitur saepius ad S. Liturgiam celebrandam accedant ad proprium Monasterium, ubi eis specialis locus in Ecclesia, extra chorum monachorum, assignari potest. Item, si fieri poterit, exercitiis spiritualibus in Monasterio incumbant.

11) Abbas vel Praelatus, quem Familiares considerent ut patrem, e monachis suis eligat sacerdotem, cui cura Familiarium ad Monasterium confluentium specialiter committitur. Monasterium Familiaribus suis per litteras circulares vel alio simili modo de vita et fatis familiae monasticae: interdum notitias praefbeat. Nonnunquam invitentur omnes simul Familiares ad festum in Monasterio celebrandum, qua occasione simul orent, instructionem de spiritu

Ordinis audiant, atque de cooperatione sua in functione a Monasterio hic et nunc exercenda colloquuntur.

12) Etsi Familiares individualiter et immediate cum suo quiske Monasterio et cum proprio Abbe connectuntur, nihilominus liberum sit Praelato coadunare Familiares Monasterii sui in associatione vel pia unione, servatis de iure servandis. Huius unionis sedes sit in Monasterio, ubi et conventus fiant. In domibus stricte filialibus Monasterio subiectis, item in parochiis incorporatis sedes subsidiaria constitui potest.

13) Iuxta antiquam consuetudinem, Familiares possunt sepeliri in habitu religioso, i. e. tunica alba, scapulari nigro et cingulo induti, si hoc expresse desideratur ab eis, et prudenter fieri potest. Nomina Familiarium defunctorum in Necrologio inscribi possunt et pro eis servitium secundum consuetudinem celebretur.

V. Obligationes Familiarium

14) Familiares in toto vitae tenore sese exhibeant dignos qui familia monasticae Ordinis Cisterciensis accenseri possint. Monasterio suo auxilium praestare data occasione satagant. Nihil obstat, quominus haec Familiarium debita per singula magis determinentur in aliquo Monasterio.

VI. Statuta generalia et particularia

15) Abbatibus et Praelatis ius esto conficiendi pro Familiaribus proprii Monasterii Statuta particularia, ubi desiderantur, quae tamen praesentibus generalibus Statutis derogare non debent.